



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 126. Diversæ summi Pontificis Constitutiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

in Abbazia ad S. Dionysium, quam a Sæc. XVII. Franciæ Rege obtinuerat, beato fine A. C. 1679. quievit: Erat sane Præsul sermonis eloquentia, animi constantia, atque eruditionis ubertate celeberrimus, adversa fortuna tranquille, prospera moderate uti assuetus, suo exemplo comprobans, optimum esse suæ quemque fortunæ fabrum: sua quoque magnanimitate, morumque suavitate populi amorem mire sibi conciliabat: Exstant vitæ illius commentarii, primum anno Christi millesimo septingentesimo decimo nono Amstællodami editi, hos ab ipso Cardinale conscriptos referunt Protestantes, verum ab his sub ejus nomine confictos fuisse, exploratum est.

§. CXXVI.

Diversæ summi Pontificis Constitutiones.

Plures hoc anno Constitutiones Apostolicas Innocentius XI. Pontifex Maximus edidit, ac primo quidem die trigesima prima Julii confirmavit indulgentias Sodalibus sancti Rosarii concessas: facultatem quoque celebrandi festum B. V. Mariæ de monte Carmelo unacum Missa & officio indulget pro Regno Lusitanæ. Declaravit pariter quod si festum S. Benedicti transferatur, ple-

Bullar. magn. Const. Innoc. XI. tom. 7.

Sæc. XVII. plenariæ etiam Indulgentiæ translate
A. C. 1679. censeantur: Separavit insuper quatuor
 Monasteria FF. Eremitarum S. Augustini a Provincia Bavarica. scilicet Salisburgense, Dissemburgense, Ratemburgense & Sefeldense, eaque aliis Provinciis aggregari iussit, cum autem Carolus II. Hispaniarum Rex S. Josephum in Regni Patronum elegisset, Papa ad Regis preces hanc electionem confirmavit, concessis in ejus Festo indulgentiis plenariis. Præceperat idem Pontifex Lusitaniæ Inquisitoribus, ut quædam judicii acta contra Judæos instructa in manus Nuntii Apostolici consignarent, cum vero hi parere recusassent, eos propter hanc inobedientiam suspensionem ab officio incurrisse denuntiavit; ut postea memorabimus. Concessit præterea privilegium præscriptionis centenariæ Canonicis Regularibus S. Joannis in Lusitania, prout Paulus III. Congregationi Cassinensi illud indulserat: denique festum Patrocinii B. V. M. ab Alexandro VII. institutum extendit, ad cunctas Regis Catholici ditiones: pro eodem etiam Regno declaravit, quod omnes Missæ per quoscunque Sacerdotes in die commemorationis defunctorum celebratæ ad quæcunque Altaria, defunctorum animabus æque suffragentur, acsi in Altari privilegiato fuissent celebratæ. § CXXVII.